



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

4. Virtutis experimenta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

Non pugnis, durave exercent membra palastrâ:  
Sed mensam, & citharæ strepitum, dulcésque choreas,  
Stragulâque, & molles curant per balnea lectos.

Nulla societas est virtuti cum voluptate. Testatur Seneca, lib. de beata vita c. 8. Virtus malâ vitam non admittit: & infelices quiddam non sine voluptate, imò ob ipsam voluptatem sunt: quod non eveniret, si virtuti se voluptas immiscuisset, quâ virtus sæpè caret, nunquam indiget. Quid dissimilia, imò diversa componitis? Alcum quidam est virtus, excelsum, regale, invictum, infatigabile: voluptas humile, servile, imbecillum, caducum, cuius statio ac domicilium fornices ac popinæ sunt. Virtutem in templo invenies, in foro, in curia promuris stantem, pulverulentam, coloratam, callosas habentem manus: voluptatem latitantem sæpius, ac tenebras captantem; circa balnea ac sudatoria, ac loca ædilem metuentia; mollem, enervem, mero atque unguento madentem, pallidam, fucatam, & medicamentis pollutam. Nihil igitur Ulyssi cum Alcinoi (ut adagio fertur) mensa, luxu & epulis distentâ. Frugalitatem docuit eum patria Ithaca, quæ juxta Homerum aspera quidem erat, sed bona *εργασίως*, id est, juvenum alitrix: dum eos consuefecit frugaliter, & continenter vivere, & ad omnem virtutis functionem exercuit, paupertate Magistra.

III. (c) Ut Alcinoi mensa in adagiis, sic mensa Sybaritica celebratur, id est, mollitiæ ac deliciis luxurians. Sybaritæ enim in regione Tarentina populi, homines fuerunt in omne genus deliciarum, luxûs, & libidinis intemperatissimè effusi. Inde quidquid esset molle, effeminatum, luxuriosum, ambitiosè apparatus, dictum est Sybariticum. Iidem omnes artes, quæ cum strepitu exercentur, ut fabrorum, ærariorum, & materialiorum in suam civitatem recipi noluerunt: & ne alicunde somnus interrumperetur, gallos gallinaceos perpetuò exiliò multarunt. Magni stetit ipsis hæc mollities; nam cum equos instituerint, ut ad tibie cantum saltarent, Crotoniatæ finitimi, hostes eorum perpetui, in ipso prælii congressu modulamen equis Sybariticis assuetum, classici loco incinuerunt, quò illi exultabundi, infessores hostili ferro objecerunt. Cautior Ulysses, quem ne perderet luxus, vitavit irritamenta malorum, Alcioni mensas & hortos.

IV. (d) Denique Ulyssis casus & labores ad varia virtutis experimenta referuntur à Mythologo lib. 9. c. 1. Sociorum illius pars in præliis adversus Ciconas amissa: pars à Læstrygonibus absumpta; nonnulli à

(e) Irritamenta malorum vitanda. (d) Virtutum experimenta.



li à cyclope vorati ; alii à Scyllâ & Charybdi absorpti sunt. Quò significatur , multos rebus adversis frangi ac consternari , animoque deficere , ut ad Piorum locum , tanquam in patriam pervenire non possint. Alii contrà ex illis non cessere quidem difficultatibus , adversus quarum molem invicti persistebant ; sed inter Phæacum delicias , inter fructuum Lotophagorum suavitatem , aut per jucundissima Circes pocula , propriam salutem neglexerunt : ut voluptates , quàm inter gravissima pericula socios Ulyssis desideràrit. Quanta sit autem vis voluptatum , quàmque perniciosa mortalibus , declaravit exemplum Polyphemi : quippe cum vel tanta moles Cyclopi fuerit , per vini tamen suavitatem oppressa est. Alii cum neque vi deliciarum , neque periculorum magnitudine victi fuissent , ob avaritiam in multas difficultates se intruserunt ; cum utrem ventorum , multorum laborum ac calamitatum originem , plenum , ab Æolo inclusorum , clam dormiente Ulysse , solvissent. Alii potiùs ambitione , quàm vel avaritia , vel omnibus prædictis difficultatibus erant transversum agendi , nisi Ulyssis prudentiâ fuissent aures omnibus obduratæ adversus Sirenum cantus. Somnus brevis , cui indulgit Ulysses , ostendit , quàm necessaria sit Imperatori vigilantia ; cum ne tantillum quidem ab administratione rerum ad communem omnium salutem pertinentium recedere liceat. Venti ex utribus emissi nullis votis revocari potuerunt.

Ante capillata est , post est occasio calva.

Deinde significatum est , præter hæc viro bono necessariam omnino esse prudentiam , & rerum fortuitarum quasi divinationem quandam , & præcognitionem , cum Ulysses sciscitatum de rebus futuris , vel ipsos inferos adiêrit.

V. (e) At verò non sufficere vires humanas ad superanda pericula , vel titillationes voluptatum , ad quas obstupescit humanum ingenium , facile monere potest Mercurii munus , herba *Moly* , quod datum est Ulyssi adversus omnia veneficia. Rectè hanc herbam *Timorem DEI* dixeris , potentissimum contra vitiorum irritamenta remedium. Festivum est , quod in part. 1. histor. Societatis. lib. 5. legitur de nostris Patribus magnâ innocentia in aula Joannis III. Lusitaniæ Regis versantibus : nam rogati à Principe , quo antidoto uterentur inter ter peccandi illecebras , salva integritate viventes , responderunt se herbam quandam circumferre , quæ vim haberet interimendæ libidinis , illamque non aliam esse , quàm *Timorem Domini*. Verè , pièque.

VI. (f)

(e) *Timor Dei.*